

*Æquus Juvet Arbitet Auspicii Cujuslibet!*

# PROGRAMMA

DE

MORIBUS SECVLI PER EDUCATI-  
ONEM LIBERORUM CORRIGENDIS,

Quo ad

*ILLVSTRISSIMI & CELSISSIMI*

COMITIS ac DOMINI,

**DN. ALBERTI ANTONII,**

S. R. I. QUATUOR-VIRI,

COMITIS Schwartzburgi & Hohnsteini,

DYNASTÆ Arnsteti, Sondershusæ, Leutenbergæ

Lohræ & Clettenbergæ,

*Comitis ac Domini nostri Junioris è tribus Celsissi-  
mis Fratibus natu minimi, Gratosissimi,*

&

*ILLVSTRISSIMÆ & CELSISSIMÆ*

COMITIS ac DOMINÆ,

**DN. ÆMILIÆ JULIANÆ,**

COMITIS SCHWARTZBURGI & HOHNSTEINI,

DOMINÆ Arnsteti, Sondershusæ, Leuten-

bergæ, Lohræ & Clettenbergæ,

*Comitis & Dominae nostræ è tribus Sororibus Illu-  
strissimis natu minima & Gratosissima,*

NATALES FERIAS apparatusimè celebrandas,

*Generosissimum Dn. Cancellarium, Maximè Reve-*

*rendum Dn. Superintendentem, & reliquos Excellentissimos Dn.*

*Scholarchas, omniumque Ordinum Eruditos,*

unà cum Domino RECTORE

humanissimè invitat

**M. JOH. ERNESTUS MULLERUS, Con-Rector.**

*Rudolstadt, Characteribus URBANIANIS, 1704.*

*SSSSSS*

Coll. diss. A  
81, 42

a. CXXXI. 42.





*O vos felices bis terque quaterque Parentes,  
Quæis Nati & Natæ gaudia certa parant!*

*B. L.*

**Q**ui aliqua nunc Virtutis specie excellere sibi videntur, collapsa Pietatis studia considerant, & in omnes graviter exclamando, & acriter invehendo furiose sæviunt, universum terrarum orbem, ommissis rectissimæ & honestissimæ rationis officiis, de spatio curriculoque religionis deflectere, palam conquesti; hi morbos quidem digito quasi indice ostendunt, verum quæ publicis istis malis remedia adhibenda sint, vel ipsi ignorant, vel præsentem ætatem præcipiendo meliorem reddere non audent, quantis etiam doctrinis sese valentes censeant, & disertos ad omnia omnibus persuadenda putent. Septem potissimum vitia sunt, quibus nunc homines cupidissime parere consuescunt, & ad turpissimas vitæ rationes traducti, nec fidem, nec justitiam amplius colunt, sic ut facile ad credendum inducar, prorsus esse inemendabiles. Prima horum criminum moles est avaritia, & dira habendi cupido, hæc summi imique ordinis homines ad quodvis scelus patrandum exstimulat, nocentissimis tentationibus mentes humanas impugnat, Satanicis insidiis irretitas scelerum reatu opprimit, & vanissimis rerum desideriiis deceptas sempiterno animarum exitio submergit, in statu ecclesiastico idololatriam promovet, in politico bel-



47



bella terrarumque vastationes excitat, & in œcono-  
 mico rixas & contentiones parit, & ita sementem Vir-  
 tutis ubique locorum impedit. Secunda humani ge-  
 neris gangræna est ambitio, seu insatiabilis gloriæ cu-  
 piditas, hæc temeraria & cœca dominatrix infinitam  
 hominum multitudinem, sua sorte haud contentam,  
 procreat, invidiam inter conjunctissimos conflatur, ar-  
 ctissimas amicitias dissolvit, viros & suis, & publicis ra-  
 tionibus utilissimos premit, & præ se contemnit, qui-  
 buscunq; illicitis modis ad honorem sibi viam sternit,  
 & ita veræ Virtutis pretio cum detrimento bonorum  
 & communi omnium pernicie plurimum detrahit, ex-  
 inde fieri plerumq; solet, ut inferior superiorem ambi-  
 tiosissimis titulorum lenociniis phalerisq; & natis in-  
 blandientis ore verbis circumveniat, & ita notis publi-  
 cæ comitatus similitudines suas occultet & obtegat, donec  
 verborum insidiis captum, & malo & damno mactare  
 possit, superior contra; Polypi mentem obtinens, inferi-  
 orem immensis felicitatum pollicitationibus illectum  
 pecunia sua emungit, & ad ferendum servitutis ju-  
 gum inani melioris fortunæ spe lactatum, & tanquam  
 hydram in dolio captum, deniq; perdit, sic, vitio ambi-  
 tionis, tuta fides phœnice, corvo albo, lacte gallinaceo,  
 lepore cornuto, & ovis noctuæ, ubiq; gentium rarior est.  
 Tertia publicæ corruptionis causa existit nimius vesti-  
 um cultus, & superfluis atq; indistinctis ornamento-  
 rum luxus, quo solo propemodum nunc stat vulgo, pri-  
 ma facie divinanti, omnis autoritatis ratio, Virtutis æ-  
 stimatio, formæq; gratia, sic ut eum omnes ceu pueri  
 Junonis avem mirentur, qui tanquam Sybarita & Æso-  
 picus graculus sandalio incedit, & prima specie melior  
 videtur, quàm usu deinceps apparet, sed isthæc omnia



quodammodo ferenda essent, nisi Christiana religio occultis idololatriæ cuniculis simul everteretur; quotusquisq; enim, cultissimis vestibus indutus, aliam ob causam ædes sacras subintrat, quam ut omnium oculos in sese vertat, & tanquam idolum, si non adorandum, tamen spectandum, interpellata aliorum devotione, in omnium conspectu se sistat, quare plerisq; templorum foribus isthæc Poëtæ verba adscribi deberent:

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsi, postquam nemo amplius decentem vestium usum recta intelligentia & definita animi moderatione gubernare didicit, id ipsum etiam, quod cultui divino destinatum est tempus, omne in parandis & concinnandis vestibus consumitur, præsertim inter mulieres, de quibus Terentius, familiaris, recte dixit: Mulieres dum moluntur, dum comuntur, annus est. Hæc morum pravitas teneras etiam liberorum mentes, quasi lethargo sopitas, adeo nunc Parentum culpa fascinavit, ut ad eam suppressendam omnis Docentium operam in scholis frustra accomodetur, quod verum esse, nemo adeo biennus vel bardus est, qui non fateatur. Quarta orbis Christiani pestis est libido, quam nunc nullæ amplius leges, ad morum honestatem constitutæ, impedire queunt, ut Terentius cum plerorumq; Christianorum assensione dixisse videatur: Scortari non est vitium; quæ tam magna Principum sedes, quod tam affluens eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis Musarum domicilium, quæ urbs, qui vicus, qui pagus, non sua ostentant lupanaria? quæ nundinæ sine cœtu luparum, corporis quæstus facientium, non frequentantur? qui exercitus non individuas comites catervatim secum, ducunt impuras foeminas? adolescentes cum vix ex  
pue-



pueris excefferunt, & quibus prima lanugo nondum obumbravit genas, lascivas sectantur capellas, & virgunculis idonei viventes incestos amores de tenero meditantur ungui, hinc distractis animorum studiis, pauciores firma bonarum artium literarumque fundamenta capiunt; ut paucis de hac malorum lerna dicendo omnia comprehendam: ab hac dominante, inquam, libidine pleraque spurcè, superbè, perfidiosè, crudeliter, confidenter, malitiosè & flagitiosè vivendi ratio profiscitur: nam ut scorto placeat, eò nunc quisque, verecundia solutus, sua confert consilia. Quinta malorum genatrix est oblectationum, quibus tempus inutiliter fallimus, multiplicatio & frequentia, his multi non solum honestissima quævis agendi occasionem, sed quandoque etiam regna, legitimis suffragiis parta, amittunt. Romani, antequam hisce vitæ ineptiis indulgere cœperant, bello erant invicti, victoriamites, pace justi, ubique inculpati, & propria laude innocentes, sed quamprimum insanæ voluptatum illecebræ eosdem effœminaverant, masculè pro aris & focis pugnare, Virtute duce, comite fortuna, ad gloriam contendere, & ita Arte & Marte, vigilantia & custodia, fortitudinem vitæ suæ præsidium constituere cessabant. Ex eo tempore, inquam, quo excolendis temporum oblectamentis in scholis & Academiis tantum est consecratum otii, plures in patriam remissi sunt gesticulatores, saltatores, iutores, fidicinesq; quàm solide docti & Virtutum laudibus celebres viri, quare & postmodum non nisi Elyfios campos, Theffalia tempe, Adonidos hortos, silvas lucosq; Deorum, concipiunt, & quavis pictorum pergulâ, in qua nihil veri, omnia ficta sunt, sibi imponi patiuntur. Sexta, quæ terris incumbit, animorum corruptela

5.

6.

ptela



ptela est calumniandi audacia, quæ omnes charitatis Christianæ regulas impune lædit & violat, res, ex rumoribus captas, prompta affirmatione pro veris asserit, & probrosis sermonibus illudendo innocentissimos quandoq; in omnium contemptum & invidiam vocat, nec summi fastigii viros metuit, nec famæ viventium parcit, nec mortuorum insignibus abstinet, & si quem sanie sua denigrare & aliorum benevolentia ejicere nequit, altius, quàm quisquam autumet, incæret animo, si autem Sycophantia feliciter Archilocho cesit, hoc ad gloriam suam vertit. Septima deniq; societatis Christianæ contagio est, eaq; perniciosissima & priorum omnium (ut ad compendium hoc addam) causa nempe vitiosissima educatio liberorum, quos parentes vel blanda indulgentia segnes, vel pravorum exemplorum imitatione flagitiosos, vel effusa liberalitate molles & effœminatos, vel invicta tenacitate rerum imperitos ignarosq; omnium, faciunt, nec ipsi ad bonam frugem erudire sciunt, nec ad curationem hanc alios adhibent, hæc perpetua omnis Pietatis impedimenta sunt, quid mirum ergo est, si Deus in his manifestissimis delictis fatalem scelerum ultionem haud omittat, & postquam Romani Imperii navicula semel sævis tempestatibus vexari cœpit, non statim ad serenam faciem mutetur dies, quum non solum homines contra Virtutes & bonos mores militiam faciant, sed etiam profanos istos ritus exuere, & animos superstitione infectos in meliores mutare, plane recusent? Interim licet quis omnibus & lachrymis & conclamationibus testetur dolorem suum, & malos plenis insectationum plaustris petat, collapsam tamen Virtutis gloriam non restituet, aut irreligiose viventes ad meliorem frugem  
redu-



reducet, nisi consiliorum addat operas. Quod si nunc homines imposterum intra veri Christiani decora sese tenere, & discrimini æternæ damnationis eximere debent, ab erudienda & educanda pueritia, à qua re maximè spes omnis felicitatis publicæ penderet, faciendum est initium. Si ergo animi ad vera Virtutis studia reparari debent, sanctiores, & supra dictis vitiis obicem ponentes, leges liberorum educationi, præsertim in scholis & Academiis, non solum præscribendæ, sed etiam legum sanctimonia devincti severa ultitione ad obsequium adstringendi sunt, alias leges sunt campanæ sine pistillo. Privata autem liberorum educatio, quæ paterni officii potiore partem facit, sapientissimè instituetur, si parentes ex se natos maturè legendis sacris literis assuefaciant, perpetua Virtutis commendatione adversus impietatem communiant, & fundendis precibus, intendendis veri studiis, & exaggerandis Christiani amoris officiis, cum lacte quasi materno veram Pietatem iisdem instillent, tumentes eorum spiritus omnibus modis suppressant, nec statim in cognomen illorum ingentes honorum titulos adjiciant, etiam si aliis antecellerent ingenii gloria; præsertim ut à conversatione istorum, qui non aliis, quàm malis rebus, agendis animos intendunt, absterreantur, cominus & eminus nitendum est, seduloq; cavendum, ne ipsorum delicta conniventia levemus, quæ durioribus verbis perstringenda sunt. Sic etiam parentes præsentibus liberis propriæ nequitiae exempla aliis haud commemorent, quibus nec graviora, nec periculosiora scandala teneræ ætati quis præbet, dignissimus ut Perilli tauro, vel Busiridis ara extingvatur, vel ut, Christo docente, altitudo maris, nullis inquirentium spatiis penetrabilis, ipsum absorbeat, similibus qui offendit quenquam, Parentes sese potius ubiq; locorum filiis suis visu audituq; venerabiles, & filios formæ & generi consimiles, efficiant, & quibuscunque imperiis animos submittere severiore disciplina cogant, præsertim cum ætas eorum firmiter aliquando maturuit. Non nisi rariora amoris sui signa præferant, & parcè gaudendo & sensim querendo, in officio contineant, injuriæ ferendæ & condonandæ promptos, & spernendis rumoribus validos faciant;

nec



nec vana persuasione corruptos ob levissimum quodvis verbum, quo forte læduntur, ad vindictæ cupiditatem trahant, quin potius erga omnes moribus affabiles reddant, ut quemvis sua consuetudine devinctum tenere possint, in his exerceri juventutem convenit, si tota mîtis, mansveta, sva-  
viq; religiositate omnibus affabilis, fieri debeat. Similis juventutis exempla in Aula nostra Schwartzburgica tres honestissimi juvenes apparatus suis orationibus ostendent. Primus *Johannes Christianus Rost/Willerslebiensis*, ita moderatus & diligens, ut præ se probitatem quandam & solidioris doctrinæ cupiditatem singularem ferat, tristissimam temporum nostrorum rationem pluribus argumentis exponet, &, ut Illustrissimæ Personæ, omni adversus hujus mundi injurias præsidio munitæ, lætiora vitæ suæ tempora habeant, confidentissime Deum invocabit. Secundus *Jacobus Rönig/Régislacensis*, qui se huc usque integrum servavit, magnoque sui amore animum meum cepit, quod studia sua vitæ scholasticæ consecraturus est, hic lætissimam ætatis nostræ fortunam disertata quoque oratione decolorabit, & votis subnectendis causas inveniet amplissimas. Tertius *Ernestus Georgius Gölitz/Rudolstadiensis*, vita inculpata Deo, & præclara industria bonarum artium culturæ serviens, hodiernam eamque felicissimam Illustrissimæ Familiæ Schwartzburgicæ conditionem verbis, quibus abundat, elegantissimis describet, & sua votorum religione in communi læritia gestientem animum expromet. Ut mea quoque in hujus Festi sanctitatem studia erectiora appareant, hoc mihi intentioris curæ erit, ut de Principum Educatione in Aula Constantini Magni historiam brevi oratione comprehendam. Ut Tu autem B. L. hunc diem pari Pietatis studio nobiscum, concelebres, nostrisque animis majorem exultandi ardorem facias, magno desiderio Tibi placendi accensus oro atque obsecro, quantæcunque fortunæ capaces sumus, eam omnem ad declarandum Tibi obsequium pollicemur; fac igitur, ut hæc oratio tantum apud Te valeat, ut Te non solum in Auditorium nostrum venientem, sed postmodum, habitis orationibus, explicata & exporrecta fronte, abeuntem videam, qui mea potius quam aliorum interesse putavi, ut adoloscences peroraturos Tibi sisterem, non de illorum grege, qui in Gymnasio quidem cum Aristotele, in hortis autem cum Epicuro, vivunt, sed quorum voluntas ad optimas res modo propensa facile, magnorum virorum gratiam & benevolentiam sibi devinciat; Faxit Deus, ut laudis in hisce Adolescentibus sit perpetuitas, qua, dicente Manutio, nihil præstantius, nihilque admirabilius est. Vale, B. L. & veniens votis adji ce vota.

S. D. G.

Dabam è Museo Rudolstadii  
d. 20. Julii, anno

Sit nobis SchvVartzbVrgensIs DoMVs, opto, fVtVra,  
PerperVa & feLIX, & bona Vera ferat.

Coll. di'ss. A. 87, misc. 42